



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ**

**Foullon, Jean E.**

**Leodii, 1657**

XII. Quartum genus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

aut instrumenta inanima, exonerant. Hi cum Balaamo, asinam percutiente, mereantur habere correctorem insipientiæ suæ subjugale mutum animal.

XII. *Quartum genus.* Quartus gradus est pueriliter impatientium, querulorum ad omnia, perpetuò gementium, cuiuslibet mala sua aperientium, ad inanem consolationem aut misericordiam captandam. Prorsùs, quemadmodùm dicere solitus B. Franciscus Salesius, sicut pueruli, qui ubi sumnum fortè digitum adusère, matri ostendunt, tum patri, dein sororibus, dein obviis quibuscumque notis, neque antè lamentari cessant, donec omnes insufflârint, aut inspuerint. Rectè de hoc pusilli animi vitio Seneca, libro de Consolatione ad Polybium; *Non sentire mala sua non est hominis; non ferre non est viri.* Ingemiscet aliquando vir fortis, infortunis percussus, amicóque uni atque alteri, ad leniendum doloris sensum, sese aperiet. Neque enim fortiozem ego Christo Christianum esse voluerim. Ingemuit, tristis esse voluit, discipulis non omnibus,

bus, sed tribus, animi sui mœrorem detexit: neque isthæc gravitati & fortitudini suæ indecora esse judicavit. Sic agat æger, pauper, mœstus Christianus, per me licet. At ubi naturæ istud dederit, conetur eodem Christi exemplo sese erigere, nec malis cedere, sed contra ire audentior; certus, quæcumque à Dei voluntate eveniunt, videri potiùs mala, quàm esse.

